



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Cavtiones Qvaedam De omni Ecclesiastica [a]edificatione. Cap. XXXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

multa quidem, unde etiam minutus prospectus sit.

In singulis monasterij partibus ad communem usum extruendis ut potè Refectorio, Capituli atrio, Valetudinario, Dormitorio, Calefactionis, Lauationisque manuum, & laborum item loco, atque alijs id generis, tum in primis in Ecclesiæ interioris edificatione, non negligenda sed adhibenda ea cautio est, ut singula eiusmodi loca, ad quæ moniales frequentes conuenire solent, ampla structura sint; quæ commodè capiant, non modò omnes quæ iam sunt, sed aliquanto plures, quas etiam deinceps in idem monasterium recipi pro facultatum elemosinarumque ratione & accessione posse verisimile est.

Illà porro etiã cautio vel maxima sit, ut ne in vlla colloquij exteriori cella, nec in vllò vel confessarij sacerdotis, vel colonorum, famulorumve aduenientium diuersorio, neque in vlla alia quavis monasterij parte exteriori, edificatione ve extrinsecus facta, loc⁹ superior quisquam sit, ad quem monialibus aditus detur: nec rursus in vlla monasterij parte interiori locus item superior, quo alijs accessus ingressusve esse vllò modo possit.

Est illud præterea cauendum, ut quicumque in monasterio sunt aditus vestibula, angiportus, aliaque id generis, nè tenebrosa, nè subobscura sint, sed dilucida & illustria.

In omni denique, vel anguli, vel aditus, vel scalæ, vel atrij monasterij capite, sacra aliqua imago piè expressa extet.

CAUTIONES QVÆDAM DE
omni Ecclesiastica edificatione.

Cap. XXXIII.

HÆc de fabrica exteriori & interiori Ecclesiæ, de cœmeterijs, de sacristia, alijsque partibus edificationi Ecclesiasticæ adiunctis, de Ecclesiæ simplicis, & oratorij extruentione, ac rursus de Ecclesiæ, monasterijque monialium structura, speciatim supra locis suis scripsimus. Illud verò generatim ad omnem Ecclesiasticam edificationem attinet, ut scilicet, nè que in Ecclesiæ, cappellæ, altaris partisve cuiusvis alterius, que ipsius Ec-

clesiæ usum decoremve attingat: fabrica, ornatuque, nihil operis quale quale sit, statuat, fiat, inscribatur, enuncietur, exprimat, que; quod à Christiana pietate & religione remotum, aut quod profanum, quod deforme, quod voluptuariū, quod turpe vel obscenum sit, quod vulgarem magnificentiam, aut familiarū insignia ostentans, gentilibus operis speciem præbeat.

Non vetatur tamen pro fabricæ firmitudine (si ita architectonica ratio aliquando postulat) aliqua structura, generis vel dorici, vel ionici, vel corinthij, vel alterius huiusmodi operis.

Id omne cum fabricæ præfecti architectivæ, antequam edificationis initium fiat consultò caueant: tum in primis curæ episcopalis est videre, nè quid tale ab ijs in opere ecclesiastico committatur.

Id denique in huiusce etiam libri conclusionem ponimus, ut cum de dote vel Ecclesiæ, vel sacello, vel altari certa constituenda, iure canonum cautum sit; Episcopus priusquam eiusmodi Ecclesiasticæ edificationis aut foundationis facultatē det, eo de genere diligenter consulto, & idonea suspensione publicisque tabulis caueat, ex eorūdem canonū præscripto.

INSTRVCTIONVM
Suppellectilis Ecclesiasticæ

LIBER II.



SUPERIORI libro modum formamque exposuimus fabricæ exterioris atque interioris: nunc sanè consequens est alter liber, in quo de Ecclesiastica supellectile dicemus.

Ac primò quidem simplicem illius apparatus, sacris ministerijs, atque vniuersi cuiusque Ecclesiæ partibus, & pro ministeriorum numero, & pro Ecclesiarum etiam ipsarum ratione ac dignitate congruentem vno in cōspectu constituimus. Deinde, quoniam pro officiorum item solennitate, & pro varia ratione, sacram illam supellectilem, cum multiplicem, variam, coloribusque distinctam, tū quibusdam stans diebus pretiosorem esse conuenit; operepretium fuit certis regulis